IN SVPREMA VECTIGALIVM CVRIA SENATORI, S. P. D. A. MORAND.

RERVM ordo grauis & sanctus à me demùm exigit (Senator Integerrime) *in hoc tanto tamque immenso circo Medicorum Parisiensium quò Philiatros vehemens, & effusa sine intermissione corporis atque animi contentio, durus, at honestus labor, singularis constantia, virtus non fortuna deducit, præsertim cum præsidia periculis quærere, vitio non vertant qui asperam adèo semitam, arduam & angustam sapiunt, tuam vt in eo negotij omnium difficillimi gerendi studio manum, & opem supplex implorem, quem mira Senatus Parisiensis omnium augustissimi incredibilis popularium, & summâ bonorum omnium consensio, non modo iudicem aequissimum, acerrimum, iustissimum, verissimum & sapientissimum, sed & virum omni praconij laudisque genere cumulandum optimè prædicat. Tuos enim Clienteis ita suscipis, eorum partes sic tueris, cunctantes & diffidentes excitas, & vnumquemque confirmas, vt vel alienorum animos eximiâ sermonis, & morum suauitate ad tui beneuolentiam protinùs allicias. Vt autem Phidias sui similem formam inclusit in clypeo, Tu quem Gallia tota suprà Phidias & Heroas illos omnes meritò suspicit, cùm intentis oculis, muneris non solum amplissimi, verum & regni florentissimi partes contnearis & contempleris; in tuis vt spero, imprimes & quasi sig nabis eam imaginem, cuius aspectu quæ de cognatione naturæ, & quasi concentu consensuque, abstrusa quamuis disputatione, ansus sit animus exprimere, meis viribus sustineam atque defendam: & quæ in nos agmine triplici instructissima acies imminent, positis armis, in tua vnius virtute libenter acquiescant.*

QVAESTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIV. NOVEMBRIS,
M. IACOBO IOVVIN, Doctore Medico, Moderatore.

9 32

An alimenti & humorum Attractio, similitudine substantiæ?

RERVM omnium parens natura, vel maximè vitæ custos, & procuratrix hominum antiquissima, vbi hominem infestissimorum hostium immanitati permisit, vt nulla commune periculum concordiâ propulsari videatur, non prorsus abiecit: verùm quâ nascentem liberalitate suscepit, sic & charitate, dum vitam spiritumque ducit, summa complectitur. & licet ἀπαίδευτος καὶ οὐμαθούσα, certis se legibus addixit, quas ipsa sibi imposuit; definitos tamen habet motus, quos omni procul inconstantiâ, & ordinis mutabilitate semper exequitur. Vt autem homines mortem sensit occumbere τῇ φύσει, τῇ ἀνάγκῃ τῶν συμπίγεσθαι, vitaléque principium partium solidarum, quod est ἀρχὴ ζωτικὴ perpetuam pati διάκρισιν complexionis suæ, ac temperamenti sui ἀλλοίωσιν; nec aliunde conseruationem & instaurationem sui obtinere, quam ex appulsu τῆς συῤῥοῆς, alimentum suppeditauit. Statim enim atque natura suum absoluit pensum in vtero per animati seminis ignem & aquam in quibus est fatalis portio corporis effingendi; extrà vterum nihil deinceps adiecit, præter augmentum & nutricatum pueri; nutricatum quidem ipsa omni funditæ tate, sicque rependitur & compensatur sagacis prouidæque naturæ consilio, integritatis delibatæ damnum, fœnerato sæpius beneficio, minimaque labes & lasciuia, quæ sensim detrahitur aut euanescit, partarum toti vtilitatum ratione solidatur.

MANSVM, & ad nutritionem præparatum alimentum excipit gula, via communis per quam in ventriculum deuoluitur, ita vt partim trahente ventriculo, partim deducente gulâ, ciborum fiat deglutitio. Facultatum autem minister princeps ἑλκτικὴ, quæ sibi conueniens alimentum trahit, non tantum in vno ventriculo sedem fixit, sed & omnibus ieiunis partibus, imperijque sui fines, longè latéque protulit, adeo vt ne minima quidem extet corporis humani particula, quam non alimenti benignitas attingat; non quod viuifici nectaris, vel humoris gratiosi latices vberrimi, grauitatis pondere fluminis instar illabantur, externovè pulsu vel impetu suo protrudantur; compertum enim est ex instituto antiquæ disciplinæ, suam esse cuiusque particulæ vim attrahendi, quæ quod sibi familiare est & iucundum alimentum, è fonte illo sanctissimo corporis generis humani educatore, priuatâ beneficentia, nec minus grata largitate prolecter. Cumque partium vniuersi corporis perampla sit varietas, obquam non omnes vnius & eiusdem alimenti suauitate pascantur, neque eiusdem deliciis capiantur, erit cuiusque partis quædam vis & facultas, quæ quod idoneum sibi fuerit & accommodatum, veluti sugat, alliciat, & trahat. Sic purgantia medicamenta, vnumquempiam è corpore humorem mouere, nemo homo iturus est inficias. Nec potioribus artibus, quàm facultatis attrahentis ope, vita continetur.

HOc sanè magnum & mirabile grauia sursùm traduci, leuia deorsùm, & contraria quæ sese pellere atque interimere solent, nolle tamen seiungi, talis & tantus ille est rerum omnium consensus & suauitatis velut immensæ concentus. At omnem admirationis modum egreditur, quo pacto, incredibilis illa τοῦ θείου potentia, artificio quæ tam dissimili rerum vniuersitati præsidet & prælucet, syluarum vt horrida, hortorum amœna, summa montium, depressa vallium, arborum acies, plantarum ampliss imos exercitus, læta lectáque florum agmina, cerealium fructuúmque vim & copiam, & sexcenta varia, è ditissimo locupletissimóque penu suo deprompserit, nec minore in corpus animum inclusserit, quod vno voluit calore viuere pariter & interire, vt per intelligentiam operetur anima, intelligentia per sensus, sensus beneficio corporis, calore corpus, calor in humido conseruetur, arctissimóque nexu commercij, seruitijque genere, sese omnia complectantur, non tamen variis atque diuersis, sed similibus alliciatur. Quòd si plura infiniti præ se ferant imaginem, atque similitudo, communis quædam plurium sit expressio similium, nec emolumenti quicquam simile consequatur à simili; quid est quæso sui cur promaconda illa, suæque varietatis oblita, in qua tamen constituenda indefesso sic labore toties desudat & elaborat, simili potiùs, quam dispari gaudeat, & delectetur?

SACRIS naturæ mysteriis initiatus, vel eorumdem antistes, communem hanc hominum matrem non potis est non exosculari, quamdiu summo cum otio contemplabitur parentis optimæ maximeque iustitiam & diligentiam quibus omnium saluti & incolumitati consuluit. Cum enim omnium quæ nascuntur finis quodammodo sit ipsa conseruatio; cuius viribus perseuerat, quod esse cœpit; quin, ipsa eadem videatur continuatus quidam omnibusque momentis repetitus exortus, non minus de rerum conseruatione, quam ortu sollicita, quas vites ad sibi similia generanda rebus indidit, easdem sacratis & inuiolatis amicitiæ legibus, ad sibi similia conseruanda in similibus appositi, vt iisdem generandis, eadem & conseruandis, de via nil declinans, omninò præsit: & quæ possunt sibi similia produeere, facilius valeant sibi similia conseruare. Fit autem concursus ad ea quæ sibi similia sunt, quo iure non pauca ad sibi affinia mouentur, tanquam ad asylum, & perfugij, solatijque locum, quibus constantius benigniusque conseruentur. Verùm neque stirpes, neque nostri corporis particulæ quicquam alliciunt, nisi illius appetitu naturali stimulentur: quod enim familiare sibi gratumque est, idcircò trahunt, quia illius desiderio tenentur. quicquid autem attrahitur, id & salutare, hoc autem iucundum & amicum est quia simile, amor enim non interuenit nisi inter similia, quemadmodum odium inter dissimilia & diuersa: substantiarum autem conuenientia atque similitudo parit amicitiam, cùm vtilis & iucundi perpetuus amor sit rebus omnibus inditus.

VIs illa substantiæ similitudinis toto fere hoc naturæ theatro diffusa, locorum etiam interuallo dissita conciliat, sensum inanimis indit, omnia cogit & Delum ipsam immota suâ sede dimoueret; allicit humores ad medicamenta, alimentum ad membra, magnetem ad polos inuitat, ferrum ad magnetem, aquarum molesad aërem excitat, ad succinum paleas conuertit, fluuios ad fastigia montium impellit, rapit ψυχὰς ad lumen, hydrargyrum mouet ad aurum. Nec tutibi persuadeas velim calorem, licet aliquando famuletur attrahentibus, sitque potentissimus naturæ minister, illustret cuncta, motu exagitet, qualitate fœcunder, temperie mulceat, exuperantiâ deuoret, nihil suis viribus non attingat, omnésque variis actionibus mundi partes sustineat, tanti esse momenti, qui attrahentibus vim suam conferat. Quid enim caloris spongiarum latitat in cuniculis, quibus plurima humidorum rapiuntur? si enim calor aut siccitas inessent, extinctionem sui pariter & ruinam contrariorum desiderio concupiscerent. Cur dolores & vulnera non semper calent, si sanguinem semper alliciunt? & quomodo omnia quæ vacui discrimine trahuntur calore poterunt concitari, si omni calore destituta, & frigidissima plerumque sentiuntur? Et reuerà valdè inops & exhaustum foret ærarium naturæ, si vnius caloris pecuniam vbique proferret. Vni veriùs & iure merito substantiæ similitudini attractionis opus debebitur, non temperamento, non materiæ, sed vel formæ dumtaxat, vel his certè omnibus, quæ proinde totius substantiæ similitudo dicitur. Alimentum quippè idcircò nos alit, quia nobis tota sua substantia simile est. Hæc sufficiens causa est ad res singulas vinciendas, hæc summo impetu & imperio concitat spiritus, titillat sanguinem, allectat amores, iungit amicitias, firmat consuetudines, sensus decipit, & rapit animos, eiusque visad alienos pertinens, in nepotes ipsos quadam mentis opinione transfunditur.

Ergo alimenti & humorum Attractio similitudine substantiæ.

F.M.P. Monspeliensis

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS MORAND, Senonensis, A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludouicus Renouart.	*M. Franciscus Blondel.*	*M. Guillelmus du Val Professor Reg.*
M. Petrus le Comte.	*M. Lancelotus de Frades.*	*M. Nicolaus Henault.*
M. Mathurinus Alton.	*M. Iacobus Montel.*	*M. Joannes Desgorris Medicus Reg.*